



16



10. Mai

794²
gr.



MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
 QUORUM UNUS
 GONORRHÆA SIMPLICI,
 ALTERA
 I L L E O
 LABORAT.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. P O L I A T R I, & Medicinæ
 Professoris Ordinarii, ac Philosophi
 eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

ADRIANUS DE BACK, Rotterod.-Batav.

Ad diem 16. Octobris, horâ 9. matutinâ.



TRAIECTI AD RHENUM,
 TYPIS Gisberti à Zjll, & Theodori ab Ackersdijck,

c l o l o c l .



Eruditissimo, Spectatissimo Viro,

D. J A C O B O D E B A C K, apud Rotterodamen-
ses Medicinæ Doctore ordinario & in praxi primario, Patri ve-
nerando.

U T E T

Pietate conspicuis Viris

D. S A M U E L I D E B A C K, ibidem Cerevisia-
rum Coctori, Patruo honorando.

D. A R N O L D O H O F F L A N D T, Orphanotro-
phii quæstori fidelissimo.

D. T H E O D O R O L A E K E N S, Mercatori vi-
gilantissimo: avunculis diligendis.

Gravissimo, multaque experientia celeberrimo Viro,

D. H E N R I C O R E G I O, Medico expertissimo,
Philosopho acutissimo, Reipubl: Ultrajectinæ Poliatio, Medici-
næ Professore Ordinario, Præfidi venerando.

Eruditione eximio Viro

D. H E N R I C O S W A E R D E C R O O N, Gymnasii
Rotterodamensis Gymnastarchæ, Litteratori peritissimo, de
studiis multum merito.

Has Disputationes

Inscribit

A D R I A N U S D E B A C K

MEDICATIO VIRI
GONORRHÆA SIMPLICI
LABORANTIS.

I.

Vir triginta quinque annorum, temperamento pituito-
sus, diu alimentis humectantibus usus, jam à longo
tempore ex urethra inscius & sine sensu frequenter e-
mittit liquorem aquosum, crudum, viscidum. Toto
corpore gracilescit: oculi sunt concavi. Vires ejus
indies magis magisque imminuuntur. Cum impura fœmina non
consuevit.

II.

Afficitur in hoc ægro totum corpus; quod ex gracilitate & ejus
debilitate innotescit. Sed præcipue afficiuntur prostata & aliæ par-
tes, quæ seminis generationi inserviunt; quod testatur involunta-
rium illud ac imperceptum liquoris istius aquosi crudi & viscidi ef-
fluvium.

III.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida ac hu-
mida & laxa prostaticarum & parastatarum, quæ excretionem li-
quoris aquosi crudi & viscidi, ac sine sensu ex urethra effluentis,
& magnam totius corporis extenuationem inducens, *Gonorrhæa*
simplex appellari solet.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est diutinus alimentorum hu-
mectantium usus. Inde vero adjuvante temperamento ægri pi-
tuitolo, aquei in corpore geniti humores *antecedentem* huic morbo
præbuerunt causam. Pars vero ad parastatas & prostaticas delata,
iisque partibus intemperiem frigidam ac laxam impartiens, *conti-*
nens, hujus morbi, & aquosi & crudi & viscidi humoris, per ure-
thram sine sensu effluentis, symptomatumque, hinc sequentium,
est causa.

D 2

V. Dum



V.

Dum enim sanguis à corde in illas partes, intemperie ista laborantes, impellitur, propter ipsarum intemperiem frigidam & humidam relinquitur crudus, ac convertitur in materiam aqueam & viscidam, quæ, cum nullos aut paucos habeat spiritus, è partibus istis ob laxitatem earum nimiam, sine ullo voluptatis sensu emittitur.

VI.

Et quoniam ille fluxus est perpetuus, quo succus alimentarius subducitur toti corpori; hinc totius corporis est extenuatio, oculorum excavatio, viriumque quotidie sese augens debilitatio.

VII.

Affectus hic quia diu duravit, & est in partibus genitalibus interioribus & à ventriculo remotis, ad quas vis medicamentorum difficulter deferri potest; satis difficilis ejus erit *curatio*.

VIII.

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei correctione consistet.

IX.

Primo itaque ad causæ antecedentis, nempe pituitosorum humorum evacuationem præscribatur hoc purgans:

Rx. el. diacathol. ℥ β. turbith pul. ℥ β.
 rabarb. ℥ β. cinamom. gr. iiij.
 dissolve in aq. card. benedict. ℥ ij. β.
 aq. fenicul. ℥ β. Misce F. haustus
 aliquoties repetendus.

Interim utatur hoc decocto ad intemperiei alterationem:

Rx. fol. menth. absinthij rom. an. m. j.
 sem. agni casti. rutæ, myrthi,
 cupular. gland. sem. rosar. rubr. an. ℥ j β.
 F. decoctio in vino rubro gallico ad lib. j. cum saccar. q. s.

Et fiat

Et fiat apozema, de quo sumat haustum
 ℥iij. omni mane & vespera.

Et inungatur regio lumborum & perinæi, inter scrotum & anum,
 hoc unguento:

℞. ol. mastichini ℥j. rutacei, mentacei an. ℥ij.
 sem. agni casti, urtica, ruta an. ℥j.
 mentha, cariophyll. an. ℥β.
 cera q. s.
 pulverisatis pulverisandis F. unguentum.

Postea utatur dragma una sequentis pulveris, cum haustu vini ru-
 bri, vel cum lacte, cubitum iturus:

℞. gland. quercus in furno exsiccatarum ℥vj.
 sacc. ros. tabellati ℥j. mastiches, thuris an. ℥j.
 sem. coriand. ℥jβ. succini ℥β.
 viticis, sol. menth. an. ℥j.
 oculor. cancri ℥j.
 fiat pulvis subtilissimus.

Si hæc & similia parum juvent, poterit per cauterium potentia-
 le fonticulus excitari in utraque tibia, paulo infra poplitem, in par-
 tibus internis, ad humores pituitosos, cum materia feminis ad ge-
 nitales partes fluentes, easque nimis laxantes, aliò deducendum.

X.

In *dieta* alimenta sint exsiccantia & calefacientia, & frequens
 orizæ usus.

MEDI-

M E D I C A T I O F O E M I N Æ,
I L E O, E X B U B O N O C E L E,
L A B O R A N T I S.

I.

Mulier quadraginta annorum, jam à multis annis ex partu in dextro inguine herniosa, incidit in diarrhæam; qua, dum alvum frequenter deponere cogitur, intestina, quæ ligamentis externis artificialibus in loco suo retinere solebat, in inguen cum tumore sunt prolapsa; cumque ea, ob duritiem renitentem, in locum reduci non possent, incidit in intolerabilem ventris dolorem, circa umbilicum ipsam potissimum torquentem, ac cum vomitu enormi & continuo variorum excrementorum, imo ipsarum etiam fæcum alvi, conjunctum. Jam à biduo hoc torquetur malo, multa que remedia per os & anum sunt adhibita, sed ea hæcenus fuerunt irrita. Adest febricula.

II.

Afficitur in hac ægra *inguen dextrum*, quod ex ejus tumore; & *intestina*, quod ex dolore ventris, circa umbilicum ipsam potissimum torquente, & tumorem in inguine faciente, nec non ex enormi illo vomitu, est manifestum.

III.

Morbus, qui ipsam affligit, est tumor inguinis dextri, ex intestinorum in illud prolapsu ortus; qui intolerabilem ventris dolorem, vomitumque excrementorum, imo etiam ipsarum fæcum, enormem & continuum faciens, *ileus ex bubonocèle* appellari solet.

IV.

Causa procatartica hujus morbi est diarrhæa illa, qua ægra alvum frequenter evacuare corpusque inclinare coacta, intestina cum copiosis fæcibus frequenti illo motu in inguen deturbavit; quæ ibi hærentia, atque contorta ac pressa, partesque vicinas distendentia, ac dolorem in iis excitantia, descensumque excrementorum impediens, *continens* hujus morbi & symptomatum sunt causa.

V. Ab

V.

Ab illapsis enim intestinis factus est inguinis tumor & tensio & intestini clausio; inde dolor; à dolore pori in cerebro ita fuerunt aperti & spiritus ita in eo determinati, ut illi in inguen multos impellerent humores, tumoremque & dolorem ita ibi augerent, ut tumor induraretur & dolor intolerabilis evaderet: in fibras vero intestinorum oblique ascendentes spiritus continuo ita influerent, ut ea, versus superiora magno impetu ab eis contracta, quicquid in iis continetur magna vi per vomitum continuo ejicerent.

VI.

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est ne ingens intestini illapsi fiat inflammatio, ex qua oriatur gangrena: Et præterea ne ex vomitu & dolore vires ita prosternantur, ut ægra in lethalem incidat lipothymiam.

VII.

Celerrima itaque, quantum fieri potest, *curatione* morbus est impugnandus: quæ tota in intestini reductione, & doloris sedatione consistet.

VIII.

Itaque tali decocto emolliente & flatus discutiente inguen dolens continuo foveatur:

*Rx. fol. Malv. flor: camomil, anethi,
Sem: lin: an. Mj. sem. cumini ʒij.*

*Coquantur in lacte bubulo pro soto,
quo spongia imbuantur, eaque calida adhibeantur,
& leni pressione manuum reductio intestini
tentetur.*

Dum autem hoc agitur, ægra ita in lecto erit collocanda, ut caput valde sit declive, crura vero elata.

IX.

Si vero hac ratione intestinum non potest reduci, cutis & peritonæum in inguine, ad intestini illapsi restitutionem, chirurgiâ erunt aperienda: & intestina reducta, ope subligaruli, in abdomine retinenda.

C O R O L L A R I A.

I.

Febbris est incalescentia sanguinis in corde ; interdum naturali major ; interdum minor : sed semper malignior.

II.

Errant illi, qui existimant in Epilepsia cerebrum à materia acris & maligna irritatum, acrimoniam & malignitatem illam sentire, atque ideo sese contrahere, & ad eam expellendam insurgere : illud porro contractum omnes nervos, tanquam lora sibi alligata, variis motibus contrahere & agitare ; & hinc omnes illos violentos inordinatosque motus variarum partium observatos in epilepticis originem ducere.

III.

In vertigine imaginatio non laeditur.

IV.

Aqua collecta in ventriculis cerebri hydrocephali nihil obstant, quo minus spiritus in ventriculis, ad functiones animales perpetuo peragendas, gignantur.

V.

Palpitatio cordis vehemens non solum oritur à vehementiore sanguinis in corde effervescencia ; verum etiam ab influxu spirituum vehementi, & inordinato.

VI.

Pus in cavitate thoracis existens per urethram evacuari potest.

VII.

A pituita potest oriri febris.

VIII.

In pulmonum & thoracis vitio frigida adstringentia non sunt adhibenda.

IX.

In abdomine hydropicorum per evaporationem potissimum colliguntur aquæ.

X.

Pleuritis non semper oritur ab inflammata pleura.

F I N I S.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



Sl





3β.

ra F. globuli masticatorii.
æ, betæ, loco errhini, utatur: uti

e, salvia an. m. β.
Nº. v. f. decoctio pro lib. j.
ros. oxymell. squill. an. ℥ij.
mus, quo tepide utatur longe à pastu.
antur linimento:

3j.
3j. misce.

MEDICATIO DUORUM ÆGRORUM,
QUORUM UNUS
GONORRHÆA SIMPLICI,
ALTERA
I L L E O
LABORAT.

Q V A M,

DEO OPT. MAX. AUXILIANTE;
SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultraject. POLIATRI, & Medicinæ
Professoris Ordinarii, ac Philosophi
eximii,

Publicæ disquisitioni exhibet

ADRIANUS DE BACK, Rotterod.-Batav.

Ad diem 16. Octobris, horâ 9. matutinâ.



TRAIECTI AD RHENUM,
TYPIS Gisberti à Zjyll, & Theodori ab Ackersdijck,

c l o l o c l .

